



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Theologia Scholastica

Mayr, Anton

MDCCXXXII

Lector Benevole.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84303](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84303)

LECTOR BENEVOLE.



Ursum Theologicum tibi offero, omnes eas quæstiones complexum, quæ intra quadriennium, à duobus Theologiæ Scholasticæ Professoribus, in Universitatibus Provinciæ Germaniæ Superioris Societatis JESU, ex præscripto solent exponi: tum, ut pateat omnibus, quibus de rebus præcipuè Auditores nostri edoceantur, nec quisquam existimet, superfluis tantum subtilitatibus, tempus inutiliter teri: tum præsertim, ut ii, qui ad literarios gradus Sacræ Facultatis aspirant, quæstiones omnes, quæ in Elencho, pro Theologicis examinibus constructo, continentur, scholasticè examinatas, & assertionibus statutis determinatas inveniant, addita etiam istarum ab objectionibus sat copiosa vindicatione: quod speratur futurum non modico Candidatis illis subsidio, & laboris, ac temporis compendio. Adjunctæ quoque sunt nonnullæ aliæ quæstiones, etiam recentiores, eæ præsertim, quæ Jansenii errores, & pertinaciam quorundam in acceptanda celebri Bulla Clementis XI. *Unigenitus* concernunt. Cæterum conatus sum (utinam etiam affecutus!) studere ubique, quantum in tam subtili, & sublimi materia licuit, claritati: quin tamen propterea difficultates dissimularem. Insuper non levem operam in eo posui, ut Authorum, quas vocant, citationes, essent fideles; certè diligentiam magnâ, omnes SS. Patres, quorum affero textus, ipse inspexi, & verba ex fonte hausi: circa quod tamen monendum, quòd, etsi Græcorum Patrum versiones quoad sensum concordent, non tamen omnes quoad verba semper consentiant; unde, si fortè vox quædam alia apud alium interpretem occurrat, non statim textus, quasi malè, aut oscitanter citatus, est rejiciendus. Pariter omnes Authores, quorum non tantum nudum nomen, sed, aut verba, aut locum adduco, à me diligenter inspectos, aut lectos, fidenter asserere possum: quo labore meo, si tibi allubet, fruerè, & vale.